

1509 rejiciendi facultas sit. Lecti post hæc legati duo, Petrus Duodus, Christophorus Maurus, quorum qui plura suffragia tulisset, Brixia, Veronæ alter præffet. Horum prior clare Senatu audiente pronunciavit, *Se id vehementer cupiisse, ut suam reipublicæ tam tristi ejus tempore navare operam posset, quando letiora non dabantur: itaque legationem libentissime obiturum.* Maurus autem ante Luredani subfellium progressus, Patribus dixit, *Post Deum immortalem suam se vitam reipublicæ devovisse; ea, uti vellet, uteretur: læto se illam animo patriæ, a qua acceperit, redditurum.* quorum oratio ab omnibus laudata, multorum Senatorum patriæ charitate implente dulcedine animos, lachrymas elicit. atque ii statim profecti sunt. Dionysio autem Naldio, qui prælio interfuerat, cujusque centuriones militesque perplures & capti a Gallis & interfecti fuerant, ipse fortiter pugnans repulsis hostibus se receperat, omnium reipublicæ militum præfectura est a Senatu tradita.

Auxere Patrum dolorem inter hæc e Flaminia nuncii, Joannem Gracum, hominem impigrum, & spectata fide, equitum sagittariorum turmæ præfectum, cum ea, quæ Ravennæ erat, manu hostes aggressum, ut eos ab obsidione Russii averteret, quod abest municipium ab Ravenna passuum millia XV. diuque ab Julianis oppugnabatur, equi lapsu captum fuisse, eoque ab hostibus ad murum oppidi producto, Russianos una cum prætore se se illis dedisse: eorum exercitum jamjamque ad Ravennam oppugnandam affuturum. Ejusmodique nunciis alii e Rhetis nuncii succedere, qui dicerent, manus illis in locis & Maximiliani finibus cogi: tormenta Tridentum afferri: commeatus comportari: certam esse famam, bellum inferri a Maximiliano reipublicæ. Ex Carnis item & Tergeste Patres certiores fiebant, milites ad octo millia in Alpibus prope conscriptos esse, qui reipublicæ ditionem aggre-diantur. Ex castris quoque ab legatis literæ afferebantur, regem Caravagio esse potitum, Jacobumque Siccum ejus oppidi municipem, equitum reipublicæ præfectum,